Jon Jensen Kolding
Desiderius Foss &
Dorothea Hasenbartz.
1575.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1007 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1007 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1007 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1007 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1007 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1007 4°

43,-111 DABOX

LN 1007
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1007 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1007 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1007 4°

52

43. — III.

κατακοιμητικὸν καὶ διεγερτικὸν

IN NVPTIAS VIRI ERVDITIONE, PIETATE, RELIQVISQVE VIRTVTIBVS ORNATISSIMI, D. M. DESIDERII FOSSII, ſcholæ Roſchildenſis Rectoris digniſſimi. Et caſtiſſimæ virginis DOROTHEÆ, D. M. IACOBI HASENBARTZ, Medici quondam Regis DANORVM vulnerarij peritiſſimi filiæ &c.

PER

IONAM IOANNIS KOLDINGENSEM.

HAFNIÆ

Excuſum per Iohannem Stockelman & Andream Gutteruitz.

M. D. LXXV.

Claudio Christophori Lyschandro
dono dedit author

CHORVS
IVVENVM ET PVELLARVM.
DAPHNIS CENSOR.

Iuuen. *HVC ades ô Vatum Paſtor celeberrime Daphni,*
Qui multa his Triuijs componis iurgia, & ortas
Decernis Iuuenum vario pro cármine lites.
Daphni veni, incuſtoditum tutò agmen oberret,
Aſſide vel mage ſi placeat cantantibus aſta.
Illa dies etenim Veneris lux aurea venit
Expectata diu, deſiderioq; Puellam
Iam DESIDERIVS deſiderat omnibus vnam,
Quæ DESIDERIVM pariter deſiderat vnum.
Cantandum eſt nobis, caſtis pariterq; Puellis,
Cuncta tuo arbitrio fiant, iube pignora ponant.
Puel. *Si pietas, & amor recti, ſi quicquid in orbe*
Quod rarum eſt vnquam potu't te flectere Daphnis,
Hoc fac vt ambroſio quos fundimus ore Hymenæos,
Perplaceant multis, teneræ ſumus innuptæq; Puellæ,
Quæ nec odoriferos flores florentis hymetti
Carpſimus, Ingenuas nec doctæ Palladis artes
Nouimus excultæ, ſed te Cenſore fauente
O DAPHNIS facilè Iuuenes ſuperabimus iſtos.

Certè

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1007 4°

Certè ego ſi tantam mihi fas eſt ſoluere litem, Daph.
Æquus ero Cenſor, vincenti præmia parti
Decernam, præſtat magnas facundia laudes.
Quid deponemus? non agnum, ſed magis aurum Iuue.
Virginibus placet obryzum, ſchyticiq; Lapilli
Intexti paſcunt oculos, & verſicolores
Exornant veſtes Tyrio de more paratas.
Pignora quæ dabimus? num purpureos Hyacinthos, Puel.
Implicitaſue comis violas? vel lilia verna
Virginea detonſa manu? calathoſue figuris
Exculptos varijs? pereunt flores, manet aurum.
Paſtores agnos habeant, vituloſq; Bubulci. Iuue.
Saltem concinite, & virtutes promite ſponſi
Nobiſcum tremulis cannis, ſponſæq; venuſtæ
Dicite dona Dei quibus eſt ornata benigni.
Tempora nunc quernis cingamus floribus omnes, Puel.
O Iuuenes cantu, forma, niueoq; colore
Vincemus facilè, nam vox bene tinnula noſtra
Perſonat vt Philomela canit, pulcherrima forma
Idaliæ Veneris, Cycnum Paphiamq; columbam
Conuenienter habet, noſtri hæc ſunt arma pudoris.
Garrula Veſpa ſolet ſic perturbare Cicadam. Iuuen.
Flos perit ætatis citius, decor oris, & omnis
Gratia membrorum rapido ruit ocyus Euro.
Falſa igitur pulchræ vobis fiducia formæ.
Sed quam ſuauis erit cantus bene iudicet æquus
Daphnis, at inſignis veniet victoria nobis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1007 4°

Pucl: Quam DESIDERIVS deſiderat ergo puellam?
Iuue: Hanc DESIDERIVS deſiderat omine fauſto,
Legitimo iungi ſociam ſibi fœdere caſtam,
DOROTHEAM liciti fore conſortemq; cubilis.
Vtq; ſuum nomen multis virtutibus ornet
Quod tulit à donis deſiderat, atq; bonorum
Agnoſcat fontem, laudet, celebretq; perennem,
Cui nunquam potis eſt dignas perſoluere grates,
Quod ſit, quod viuat, quod ſenſu prædita ſano,
Atq; Dei ſummi ſit condita imaginis inſtar.
Hæc DESIDERIVS deſiderat ille diſertus.
Puel. Sit DESIDERII deſiderium bene fauſtum.
Iuue. Sponſa veni, ne ſic te aſpectu ſubtrahe ſponſi.
Puel. Hanc pudor ingenuus, mentiſq; modeſtia tardo
Ire iubet greſſu, ſed quid crudelius vnquam
Quæſumus auditum? nobis quam aufertur vt illa,
Quæ ceû luteolus flos eſt Hyacinthinus iſte,
Quem pede nec duro preſſit bos tardus arator,
Pollice nec virgo decerpſit candida molli.
Hic pueris magis acceptus, teneriſq; puellis
Gratior, ac ſi idem languens ſub ſole iaceret
Detonſus, nec odore valens, nec flore vireſcens.
Iuue. Vitis Luxuriat patulis vbi iungitur vlmis,
Pampineiſq; vuis viniflua dolia turgent,
Quæ ſi ſola manet, ramis circundita nullis,
Nullus odoriferis humor manabit ab vuis.

Siue

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1007 4°

Siue choros placidos nobiſcum duceret illa Pucl.
Illa venus Citherea fuit, ſeu lilia pratis
Tonderet pictis, narciſſum ſiue Hyacinthum,
Hæc Europa fuit, telam ſeu texeret, artem
Penelopes finxit, tot donis condecoratam
Auelli nobis ægro nos corde feremus.
Ludicra narratis, valeant leuiora puellæ. Iuue.
Non opus eſt ſponſi formam celebrare decori,
Nireus eſt vultu, ſpecie pulcherq; Nearchus,
Corporis hæc bona ſunt, animi ſed dicere præſtat,
Namq; bonis ortus, bonus ille parentibus, atq;
(Vt decet) ingenuis ſolidè enutritus ab illis
Artibus, hæc laudanda piè pia cura parentum.
Vrbs antiqua ROE antiqui de nomine nomen,
Quæ trahit, vſq; viros omni pietate coruſcos
Poſsidet, hîc primúm calamos inflare paluſtres
Conſueuit, doctos didicitq; fideliter artes.
Vſq; adeo ſolers muſarum caſtra ſecutus,
Per caſus varios, & per tot dura viarum,
Ad veros animo inuicto aſpirauit honores.
Iamq; ſcholæ eiuſdem Rector præfectus in vrbe,
In qua literulas didicit iuuenilibus annis.
Hîc Deus æternus voluit requieſcere ſponſum,
Qui pro dilecta rapidas maris ire per vndas
Non metuat ſponſa, nec adire pericula mille.
Abſit vt Hafniaca grata ſtatione relicta, Pucl.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1007 4°

Expetet obſcuras ædes, ſordesq́ tabernæ,
Pro regum domibus, ſortis mutatio iniqua.
Iuue: *Qui regum turres moderatur, & omnia ſpectat*
Hæc mandata dedit, Patrem, Matremq́ relinquat,
Et charos Fratres, vterinas atq́ Sorores
Deſeret, atq́ virum ſolum comitabitur Vxor.
Puel: *Grande nimis buſtum Roſcildia plena ruinis.*
Iuue: *Num quid ab æterno durauit tempore fixum*
Quod non peruertit rerum grandæua vetuſtas.
Regibus illa fuit quondam gratiſsima ſedes,
DANORVMq́ caput, pars penè potiſsima regni.
Cuius adhuc muri, quoq́ propugnacula, & altæ
Turres, & diuum fana, & ſacra rudera paſsim
Oſtendunt, quondam quam ſplendida, clara, & amæna
Hæc fuerit, ſic TROIA ruit, ſic ROMA ſeneſcit.
Quid quod & hæc reliquas vel in hoc ſuperare videmus,
Cernitis hîc Templum magni Solomonis adæquans,
In quo tot regum ſunt abdita buſta Potentum,
Magnorũq́ Ducum. Prope ſtat ſchola DANIA qualem
Vix habet. Eſt etiam fons hîc dulciſsimus ille,
Exundante vomens vndas de gurgite largas,
Circum quem frutices, circum quem Populus alta
Creſcit, & Hoſpitium dulci præbet Philomelæ.
Hic DESIDERII limen THEODORA ſubibit.
Puel: *Vincimur his dictis prodi pulcherrima ſponſa,*
Parthenice velut alba nitens, gratumue Papauer.
Vos teneræ Dryades, vos arridete Napææ,

Praten-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1007 4°

Pratenſes fluuij, lætisq́ fauete corymbis
Sylueſtres plantæ, flores varijq́ coloris
Plaudite, per pluuias dum creſcitis ætheris alti.
Absq́ mora prodi, prodi THEODORA precamur, Iuue:
Non ne vides faculas? quas geſtat culta Iuuentus,
Luciferasq́ faces, te pinea tæda, micansq́
Flamma monet ſurgas, DESIDERIVMq́ maritum
Iam noua nupta tuum (ceu fas) reuerenter honores.
En DESIDERIO Sponſam concedimus, ore Puell.
Floridulo, ſed quid Sponſum remoratur habentem
In Thalamo Sponſam? forſan non ſomniculoſus.
Iunoni Sponſam nos commendamus amandam,
O Iuno teneræ fer opem populonia Sponſæ.
Iam reuocamur, abit nox, manè redibimus omnes,
Gallus vbi primùm nos iuſſerit euigilare.
Suauiter interea hanc molli traducite noctem
Curſu, & Neſtoream fauſtè complete ſenectam.
Viuite fœlices: Cras vobis Amphitrionem Iuue:
Spectandam dabimus, quomodo malè luſerit ipſam
Iupiter Alcmænam, cuius flagrabat amore,
Mercurij tamen auxilio, ſtudioq́ ſiniſtro.
Coniugis hic laruam, ſerui capit alter amictum,
Et miſeram fallunt matronam fraudibus aptis.
Hinc ludos, gratosq́ iocos, ſalſasq́ loquelas,
Miſcemus factis, & erunt ſpectacula læta.

Iam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1007 4°

Iam nihil omiſſum, tandem da præmia Daphnis.

Daph: Verba quidem blandæ cecinerunt blanda puellæ,
Os quibus hyblæo plenum puto melle, fauisq;,
Attamen has Iuuenes ſuperarunt carmine docto.
Hi quia res ipſas facili tractare camæna
Nouerunt, dum verba placent leuiora puellis,
Vos igitur iubeo contexere ſerta puellæ
Frondibus, vt capient Iuuenes ſua præmia cantus.
Quælibet hinc veſtrum ſeruata virginitate
Magna reportabit pro cantu commoda vitæ.
Scilicet à cunctis laudetur iure puella
Impolluta manens, cui tot bona dona Mineruæ
Cognita ſunt, pulſare chelin, quoq; tangere plectrum.
Pergite iam victæ, Iuuenes quo vincere rurſum
Poſsitis, Tanagræa velut conata corinna eſt,
Pindaricam toties quæ vicit carmine muſam.
Nox abit, ite domum, ſole & redeunte redite.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1007 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1007 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1007 4°

foto 206386 t. bl.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1007 4°